

tinenter pugnavissent, ex Venetis triremibus majoribus una depressa interiit, altera interfectis quamplurimis est capta, cum omnibus abeuntibus tamen sola totam noctem impetum hostium sustinuisse. Contarenus pro imperator, navi sua perforata, atque aqua eam degravante, in aliam se contulit, Zacynthumque, ut & illam & reliquas aliquid ex concursu passas incommodi reficeret, est profectus.

Interea cum de Malchionis adversa valetudine Senatui esset nunciatum, Patres evestigio, ut ei classi imperator sublegeretur, decreverunt: qui si eum salvum offendisset, reipublicæ nomine hortaretur, ut ad urbem rediret. id que eo deliberatus fecerunt, quod de Malchione quotidie, quæ non magnopere vellent, audiebant. Itaque majoribus comitiis Benedictus Pisaurus magna cum potestate lectus, pecunia in stipendum largiter ei curata, die ab ea die tertia consendit. Contarenus refectis navibus auxilium & commeatum Methonem mittere cum decrevisset, veritus ne oppidani omni subsidio desperato se se hostibus dederent, naves longas quinque omni ex classe delegit, atque in iis quæ opportuna essent, imposuit. ante tamen optimum esse ratus oppidanos ea de re certiores facere, ut se ad frumentum atque arma reliquasque res celeriter ex navibus extrahendas compararent, hominem fortem atque audacem cymba ei tradita cum remigibus decem eo misit. is per mediam hostium classem omnibus inspectantibus, quod erat meridiei fere tempus, celeritate adhibita pervolans, mandata Contareni oppidanis pertulit: posteroque die, qui dies erat ante diem quintum iduum sextilis, Contarenus nactus idoneam tempestatem Methonem versus vela omnibus cum triremibus facit. Hostes classe visa, id quod erat rati, ad oppidi se portum opposuerunt. Contarenus præfectos cohortatus, ut magno animo ad oppidum contenderent, remque suorum civium opis & virtutis egentem sublevarent, eos ab se dimisit. Ex iis quatuor triremes inter hostium naves elapsæ, se ad oppidum magna difficultate